









1733.

1. Bechius, Capus Scholasticus: De officio iudicis nobili
et mercenariis.
 2. Bechius, Capus Scholasticus: Programma: De exemptione
Academicarum a juris Dictione curiarum provinciarum
Litem Dissertationi inaugurali Johanni Wilhelm
Buschmanni . . . praemissum.
 3. Brunnquellius, Dr. Salom: De jure patronorum honorifico
primario nimirum jure praesentandi.
 4. Brunnquellius, Dr. Salom: Programma: De solemnitate
in executione sententiarum capitalium a Romanis adhi-
bitis, Christophori Fides Tappigii . . . inaugurali
dissertationi . . . praemissum.
 - 5^{a, 6^c} Brunnquellius, Dr. Salom: De pictura famosa et
de specie juris Germanici, pacto nimirum, quo majores
nostri, sub pictura famosa . . . sese obligaverunt.
- 3 Saampfl. 1733 : 1748.



1773.

6. Brumquellius, Jo. Salomon: Programma de pfectura honesta et ac ubili . . . Christophori Ferdin. Voit a Berg inaugurali Dissertationi . . . praemissum.
7. Corporius, Jacobus: Fundamenta artis nauticae in mathesi quaerenda.
8. Hertelius, Joh. Frideus: De puenitentia in con tractu immunitato hodie non locum inveniente
9. Hertelius, Joannes Frideus: De constitutione sive forma judiciorum criminalium solemnium . . .
10. Kemmerich, Viet. Herm: Oid. jur. processuum: De origine contractuum nominatorum et immunitatorum, nec non diversorum actuum inde materiam quaedam praefatus, et . . . Dissertationem inang. Johannis Davidis Bachhausii . . . movet
11. Kemmerichius, Vietor. Herm: De investitura per baculum et anulum et jure patronatus regio

1783.

12. Kemmerichius, Hist. Helm. ord. jus protecanus :
De investitura per baculum et annulum, et jure
patronatus regis . . . disputationi in ang. Theobaldi
Fridrici Torni . . . praemissa.
13. Kemmerichius, Orationes Hermannus : De creditore
antichristico rationes non reddente.
14. Kirchberg, Fridr. Ernestus, burgerr. de : De superioritate
territoriali in Altitio imperii 14.2.
15. Krollius, Hermannus : De jure diversarum reipublicarum
formarum.
16. Ppesfer, Frachinus Theopred : Calor sub iure
horribile.
17. Stockius, Joh. Christianus : De homine Dei conditoris
teste.
18. Strunius, Bure. Gottelffius : De successione se.
Caudogenti prae primogenito in regna et principatus



7.

6

7.

8

9.

10

1



1733 117 51 19

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
HOMINE
DEI CONDITORIS
TESTE

*Lehrer Rauten,
2.1.1730.*

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE, JVLIIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQVA
AMPLISSIMAE
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE CONSENSV
SVB PRAESIDIO

IOH. CHRISTIANI STOCKII,
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS,
ET IMPERIALIS LEOPOLDINO-CAROLINAE ACADEMIAE
NATVRAE CVRIOSORVM COLLEGAE,
FAVTOVIS ET PRAECEPTORIS AETATEM COLENDI
PVBLICE DEFENDET

IOHANNES FRIDERICVS HARTLIEB
VLMA-SVEVVS,
AD DIEM XXIV. IANVARII MDCCXXXIII.

—————
IENAE, LITTERIS MARGGRAFIANIS.



24

DISERTATIO THEOLOGICA
 H. O. M. I. N. E.
 DE CONDITIOE
 C. I. L. I. A. M. O. N. I. S.
 I. O. H. A. N. N. I. S. T. R. I. D. I. C. I. S. S. I. M. I. L. I. E. R. I. I.
 I. O. H. A. N. N. I. S. T. R. I. D. I. C. I. S. S. I. M. I. L. I. E. R. I. I.
 I. O. H. A. N. N. I. S. T. R. I. D. I. C. I. S. S. I. M. I. L. I. E. R. I. I.
 I. O. H. A. N. N. I. S. T. R. I. D. I. C. I. S. S. I. M. I. L. I. E. R. I. I.
 I. O. H. A. N. N. I. S. T. R. I. D. I. C. I. S. S. I. M. I. L. I. E. R. I. I.





PROOEMIUM,

§. I.

Hominem hactenus, qua fieri potuit brevitate, tum quâ *animam*, tum quâ *corpus* spectavimus, quibus, tanquam partibus essentialibus & constitutivis unitis, absolvitur & constituitur totus, ut, haud repugnante veritate, eum dicere possis *substantiam ex anima rationali & corpore organico compositam.*

§. 2.

Sive autem eum secundum se totum, sive quâ suas, ex quibus constat, spectemus partes, Dei Conditoris sui testis est locupletissimus. Hominem *μυροκόσμον* naturæ vocant scrutatores. Quod si ergo *μακροκόσμος* Dei Creatoris præbet testimonium locupletissimum; Quidni & *μυροκόσμος* de ipso testetur locupletissime, sive secundum se totum, sive secundum suas spectetur partes? Huc spectat IOH. EDWARDI *demonstratio existentie ac providentie Dei à contemplatione visibilis structura maioris & minoris mundi hausta*; in specie summe Reverendi D. D. WUCHERERI eruditissima *Disputatio de Atheo ex structura cerebri convincendo*; IOH. CHRISTOPHORI STURMII *Dissertatio, quam oculum θεοσκοπίου*

A 2

in-

intcripsit; JOH. ANDREAE SCHMIDII *Dissertatio de aere* Conditorum
 suum probante; JENICHENII *Dissertatio de Deo in sensuum externorum*
oeconomis palpabili; JAC. WILHELMI FEVERLINII *Dissertatio, qua*
exhibet argumentum existentiae & providentiae divinae ex loquela hominis
deductum; GEORGII ALBERTI HAMBERGERI, Viri etiam post mor-
 tem celeberrimi *Dissertatio de Deo ex inspectione cordis demonstrato*;
 DONATI *demonstratio Dei ex manu humana.*

§. 3.

Quid ergo prohibet, quo minus hominem Dei
 Conditoris quoque testem sistamus?

§. 4.

Cum vero Deus, si ex lumine, quod dicitur, naturae,
 cognoscendus venit, considerari solet tum quae existenti-
 am, tum quae essentiam, tum quae attributa, tum quae opera,
 tum quae cultum, homo horum omnium testis esse pot-
 est.

§. 5.

De singulis breviter et strictim agemus. Deus an-
 nuat & huic meditationi, ut cedat in ipsius gloriam
 sempiternam.

I. N. I.



I. N. I.

CAP. I.

DE

HOMINE EXISTENTIAE DEI TESTE.

§. I.

Homo Dei existentiae testis est, sive spectetur secundum se totum, sive secundum partes.

§. II.

Secundum se totum spectatus est testis existentiae Dei, (1.) quia est ens contingens, cum possit esse & non esse, & aliquando non fuerit, (2.) rationi repugnat, hominem esse sui ipsius causam efficientem. Haec enim si foret homo, idem sua natura foret ens prius & posterius. (3.) Non datur progressus, in infinitum, alioquin enim series causarum esset impertransibilis, sed in ente primo & necessario est subsistendum, eoque per se & absolute tali, quod suae necessitatis nullam agnoscit causam. Hoc autem eum nullum sit aliud, quam Deus, ut pote qui, quia solus est independens, nullam suae necessitatis causam agnoscit, manifestum est, hominem existentiae Dei, sui Conditoris, testem esse.

§. III.

Nec minus homo secundum singulas partes essentielles, ex
A 3 quibus

quibus constat, Dei, sui Conditoris, existentiae testis est. Nam (1.) anima est ens, quia vere & realiter existit. Si autem vere & realiter existit, aut est à se, aut est ab alio. Sed non est à se, quia ea ut totus homo contingenter existit, & rationi repugnat, eam esse sui ipsius causam, unde agnoscenda est causa quaedam efficiens animae rationalis. Haec autem cum sit substantia immaterialis, prout Dissertatione de anima rationali Cap. 1. §. xv. demonstravimus, adeoque ex nulla plane materia constet, eam etiam suae naturae convenienter ex simpliciter nihilo, seu ex nulla plane materia productam esse, sequitur. At huius generis productio quia postulat virtutem producendi infinitam, est opus soli Deo proprium. Quod vero (2.) ad corpus, (α) fatendum quidem, parentes generantes ad ejus concurrere productionem; At, si spectetur partium corporis humani varietas, nexisque ac structura mirabilis, sane alia quaedam, quam quae in semine est, ac sublimior virtus concurrat, necesse est.

Adverte, quae, hominis caput, & in hoc (1.) *CEREBRUM*, quod extus munitur *cranio*, quod etiam tegitur *pericranio* & *cute capillosa*. Intus tribus obtegitur membranis, quarum prima est *dura meninx*, *dura mater* etiam dicta, quae est admodum valida & nervosa, variisque venis majoribus, quae Anatomicis *sinus* audiunt, instructa. Eorum sedecim numerantur, interdum tamen plures reperiuntur. Locus, quo omnes hi sinus concurrunt, *corcular Herophili* vocatur. Duplicatura hujus membranae, *processum falciformem* constituens, cerebrum in duo hemisphaeria dividit. Altera membrana est valde tenuis & à similitudine telae araneae *arachnoidea* salutatur. Haec eodem fere modo ac dura mater, cerebri tegit superficiem. Tertia, quae non solum cerebrum proxime ambit, sed insimul ad anfractus & gyros cerebri descendit, *pia mater* nuncupatur. Vasa sanguifera in hac sunt copiosissima, tam arteriosa, quam venosa. Cerebrum ipsum superficiem habet inaequalem, anfractibus, sulcis & gyris variis intestinula fere repraesentat. Dividitur per durae matris processum falciformem in duo hemisphaeria, & haec in lobos anteriores & posteriores. *Substantia* ejus duplicis generis deprehenditur, extus *cineritia* & mere vasculosa, intus *alba* sive *medullaris*, quae est fibrosa & tabulosa, *Hemisphaeria cerebri*
con.

conjungit corpus *Psalloides*, sive *callosum*, sub quo est *seprum* sive *speculum pellucidum*, quod cavitates cerebri laterales, quæ *ventriculi* salutantur, à se invicem distinguit. *Ventriculi cerebri* quatuor numerantur ab Anatomicis, *duo majores*, anteriores scilicet, & *duo minores*. In illis notatur (1.) *fornix*, sub septo pellucido conspicuus, cujus pars posterior bifida, *crura fornicis*, *pedes hippocampi* dicta, constituit; (2.) *Plexus choroides*, vasculorum fere omnis generis varie complicatis ramulis repletissimus, & glandulis minoribus fere innumeris obfitus. (3.) In medio ventriculorum cerebri majorum notantur *corpora striata*, quæ extus sunt cineritia, intus vero striata; (4.) *Thalami nervorum opticorum*. In Ventriculo cerebri tertio *glandula pinealis*, tenui investita membrana, *dua protuberantia majores natiformes*, *duæ minores testes* dictæ ab Anatomicis. Sub iis *valvula magna cerebri*, & à parte antica *rima ad infundibulum vulva* aliis dicta, à parte postica *anus*, conspiciuntur. *Ventriculus quartus* est illa cavitas, quæ inter cerebellum & subjectam medullam oblongatam est conspicua. Sub posterioribus lobis cerebri parvum rariis cerebrum, ideo *cerebellum* dictum, deprehenditur, cujus *substantia corticalis* longe copiosior *medullari*, quæ in *frondes* & *ramusculos arborum* pulchre dividitur. *Processus* habet *cerebellum* duos *vermiformes*, & *tres medullares*, qui etiam *pedunculi cerebelli* adjuvant, quorum *primus* versus testes ascendit, & *valvulam* magnam cerebri constituit, *alter* à cerebello recta descendit & priorè decussatim transit, atque *protuberantiam annularem Willisii*, sive *Pontem Varolii* format, *tertius* vero è postica cerebelli regione descendit ad spinalem medullam. A cerebro & cerebello ad instar caudæ procedit *medulla oblongata*, quæ spinali medullæ & nervis cerebri originem præbet, hæc, circa finem cerebelli dissecta, *salamum scriptorium cum sua crena* refert.

2. Adverte *OCULOS*, partes capitæ, necessitate non minus, quam structura mirabili, commendabiles. Instructi sunt *palpebris*, *siliis*, *superciliis*, velut munimentis, ne temere lædantur. Habent *musculos*, quorum beneficio moventur sursum, deorsum, ad latus utrumque, & in gyrum bifariam, sive in regiones oppositas. Motui autem facilitando humor ille interservit, quem *glandula du-*
flusque

Etque lachrymales emittunt, & pinguedo muscularis oculorum inter-
 posita. Connectuntur oculi cavitatibus, sub ossibus frontis, quæ
 orbitæ nuncupantur, per *tunicam adnatam*, quæ extrinsecus in ante-
 riore regione oculi candore emicat, & *albi oculi* nomine venit, in
 medio autem ingente foramine instructa est pro *tunica cornea*; per
 quam transperet oculi *iris* & *pupilla*. *Bulbus oculi* à nervo pendet
 optico, atque ex sex præcipue tunicis, tribusque humoribus, multis-
 que vasibus sanguiferis, lymphaticis & nervo lymphaticis, tribusque
 humoribus, mirifice contextis, est conformatus. Tunicæ sunt
 jam memorata *adnata seu albuginea*, *sclerotica*, *cornea*, in multas
 lamellas divisibilis, *choroidea*, vasculis subtilissimis, distinctis tam-
 en, repletissima; *uvea*, in medio perforata, quod foramen *pupilla*
vocatur, cui *iris oculi*, sive circulus per corneam, in homini-
 bus diversis diverso colore transparens, circumducitur; *Tunica*
retina, quæ est nervi optici expansio. Hæc oculorum tunicæ ex-
 panduntur ab humoribus, qui & refractioni radiorum lucis inservi-
 unt, & numerantur tres, *humor aqueus*, *vitreus*, & *crystallinus*.
Humor aqueus, qui à colore & consistentia ita dicitur, in parte
 oculi antica, spatium illud inter corneam & humorem crystalli-
 num, ubi *uvea* libere quasi fluctuat, replet; in parte autem postica
 spatium inter retinam & humorem vitreum. *Humor vitreus*, vi-
 tro fuso similis, partem oculi posteriorem replet, antè habet
 foveam pro recipienda lente crystallina. posterius vero, conformi-
 ter ad tunicas ambientes, sphericam habet superficiem, circumda-
 tur etiam tunica admodum subtili, *hyaloidæ* dicta. Copia huius
 humoris est valde insignis, præcipuamque tunicarum oculi expan-
 sionem conficit. *Humor crystallinus*, ob diaphaneitatem & firmio-
 rem consistentiam isto epitetho condecoratus, & ob figuram fere
 lentiformem, etiam *lens crystallina* audit, hæc foveæ humoris vi-
 trei, ope tenuissimæ tunicæ *arachnoideæ* dictæ, includitur.

3. Adverte *AVREM*, sonis, vocibusque hauriendis miro apta-
 tam artificio. Exterius adparet *auricula*, ex cartilagine, figura fere
 ovali vel elliptica, constans, variis eminentiis & *avicularibus* exorna-
 ta, atque per *varios anfractus* in *meatum auditorium* definens, qui
 initio cartilagineus est, & tandem osseus evadit, qui valde tortu-
 osus

osus est, in principio enim oblique ascendit, deinde autem inflexus rursus tendit deorsum, sed semper versus anteriora. Clauditur hic meatus interius per membranam tenuem, eamque pellucidam, circulo osseo adhaerentem, quam *tympani* insignire solent nomine. Oblique hæc membrana meatui auditorio super-tenditur, parte ejus superiori extrorsum inclinante, & subtrensus est membranæ tympani nervulus, qui sub *chorde tympani* nomine venit. Tympani pone membranam cavitas ossi petroso insculpta *tympani* nuncupari consuevit *cavitas*, in qua quatuor dantur ossicula, quorum tria *malleus*, *incus*, *stapes*, nominantur, nominibus à rebus, quarum similitudinem exhibent, petitis; Ultimum autem, quod est minimum, à figura, quam habet, *orbiculare* nuncupatur. Hæc ossicula, quæ *ligamentis membranaceis*, tum inter se, tum cum vicinis partibus valide colligantur, tribus prædita sunt *musculis*, quorum duo malleum movent, unus autem stapedem. Ex cavitatis, quæ tympano est, lateribus *duo* exeunt *meatus*, quorum alter, viâ admodum tortuosa, inter processum styloideum & mammillarem exitum invenit; alter autem ex infima tympani parte exiens & in palatum dehiscens novum aërem, quoties opus est, ad interiora admittit. Unde auditus defertur qui quandoque per oris apertionem subveniri posse, quidam autumant. In posteriori cavitatis tympani pariete *duo foraminula*, suis *obtectis pelliculis*, deprehunduntur, unum *ovale*, quod superius est, & stapedi basin præbet, alterum *rotundam*, quod est inferius. Per hæc velut fenestellas quasdam in specum intimam, tympano vicinam, videtur, quæ, in quodam ossis petrosi recessu excavata, pluribus constat gyris & tortuosis ductibus, unde *labyrinthi* nacta est nomen. Ibi præter *vestibulum* non duntaxat dantur *tres canales ossei*, in *semicirculos inflexi*, sed his etiâ oppositus est alius *canalis osseus*, qui *instar cochleæ* est, cum *lamina* quadam *ossea*, quæ ossei illius canalibus *spiram*, à principio usque ad finem, per medium in duas partes, tanquam scalas, secans ibidem conspicitur. Labyrinthus & cochlea involvuntur *tunica nervosa*, quam nervus acusticus suis expansionibus constituit, ideo etiâ *labyrinthus & cochlea* *auditus organum præcipue constituunt.*

4. Adverte *LINGVAM*, organum non uno usu commendabile. Non solum enim sensui gustus ea est destinata, cum in superiori ejus superficie expansæ sint eminentia nervosæ, papillas partim fungosas sive capitatas, partim pyramidales referentes, quæ continuationes sunt nervorum gustatoriorum, & sensum exquisitissimum largiuntur; sed etiam loquelæ, cujus illa instrumentum est præcipuum. Etiam si enim varia glottidis strictura & dilatatione, absque eo, ut lingua moveatur, vox varia formari possit, ea tamen sine lingvæ motu articulata fieri nequit, quod quemvis experientia docet. Cum itaque fundamentum loquelæ in eo consistat, ut soni articulati, animi conceptus significantes, formentur, ad sonos illos varios, eosque articulatos edendos, non solum aër, sed etiam certa ejus modificatio requiritur. Aër pulmonibus conceptus, & late per eos diffusus, coarctatione thoracis & pulmonum compressione iterum expellitur per *tracheam*, cujus pars superior ab Anatomicis *larynx* vocatur, in hoc apertura *glottis* dicta, à cartilaginibus, ex quibus componitur, & musculis, modo ampliatur, modo angustatur, unde aër transiens magis vel minus comprimitur, adeoque sonus diversus, & vox diversimode formatur, & ipse aër, qui per glottidem urgetur, *uvule, palato*, & partibus oris alliditur, & ab ipsa lingua, quæ suis musculis varia celeritate & diversimode movetur, verberatur; Adeoque per lingvæ cumprimis, dein & reliquarum oris partium motus, voces, quas edimus, ita modificantur, ut articulata evadant, quibus, ceu signis, animi conceptus exprimuntur, unde tandem loquela oritur. Animi itaque nostri optimus interpret est lingua, ex quo hujus organi nobilitas facile conjicitur.

5. Adverte mirandum illud circulationis sanguinis & vitæ organum primum, puta *COR*, quod est pars muskulosa omnium validissima, pyramidem inversam representans, sacculo membranaceo, qui *pericardium* vocatur, inclusa, & in medio fere pectus, inter duos pulmonum lobos, pendula. Circa basin ejus duæ appendices, ex infinitis fere musculis compositæ, & intus cavæ, conspiciuntur, quæ *cordis auricula* dicuntur, quarum dextra longe major est sinistra. Insculptæ sunt cordi duæ insignes cavitates, *ventriculi*

triculi dictæ, quorum dexter tenuior & debilior, sed ut plurimum
 capaciosior sinistro, hic vero dextero est robustior, crassior & angustior,
 sed longior, atque ad cordis cuspidem usque extensus. Distingvuntur
 cordis ventriculi per partem intermediam carneam, quæ *septum*
cordis appellatur. Ventriculo dextero implantata est *vena cavæ*
 & *arteria pulmonalis*, quarum illa sanguinem à partibus corporis re-
 cipit & transvehit ad eundem cordis ventriculum; hæc vero san-
 guinem ex dicto aantro ad pulmones vehit. Ventriculo sinistro in-
 ferta est *vena pulmonalis*, quæ sanguinem, è pulmonibus receptum,
 eidem infundit cordis ventriculo; & *arteria magna*, quæ sanguinem
 ex eodem specu ad omnes corporis partes, pulmonibus exceptis,
 defert. *Instruuntur sunt cordis ventriculi suis valvulis*, quæ formantur
 quibusdam pelliculis, quæ ante orificia venarum, & in orificiis
 arteriarum ponuntur, & sanguinis, ex ventriculis in venas, & ex
 arteriis in ventriculos, regressum impediunt. In dextero cordis ven-
 triculo, orificio venæ cavæ adjacent *tres valvule tricuspidales*, *foris*
intro spectantes, hoc est, extus apertæ, intus vero clausæ. In prin-
 cipio arteriæ pulmonalis reperiuntur *tres valvule sigmoideæ seu semi-*
lunares, *intus foras spectantes*, hoc est intus apertæ, & foris clausæ.
 In sinistro cordis ventriculo, ad ingressum venæ pulmonalis, tantum
due valvule mitrales seu episcopales existunt, *foris intro spectan-*
tes. In principio vero arteriæ magnæ, eodem modo, ac in prin-
 cipio arteriæ pulmonalis, *tres valvule sigmoideæ sive semiluna-*
res reperiuntur. Utriusque ventriculi & auriculæ parietibus in-
 terpositi sunt *lacertuli sive columnæ carneæ*, cum *fulcis interjectis*.
 Ejusmodi columnæ *partim* parietum ventriculorum, in confractione
 cordis, velus ejus septum appropinquationem juvant, *partim*
 illorum nimiam dilatationem impediunt. Præter superius comme-
 morata vasa, communia magis, cor etiam habet propria vasa
 sanguifera, *coronaria dicta*, quæ per totam cordis substantiam
 imo ad ipsas auriculas & arteriæ magnæ tunicas distribuuntur.

Quod si ergo harum & reliquarum corporis humani parti-
 um varietas, nexus & structura plane admirabilis, quin & aliquarum
 tanta exiguitas, ut vix oculo armato & microscopio instru-
 to deprehendi possiat, & tamen sub tantilla mole mirandum ex-
 hibent

hibeant artificium, sublimiorem, quam quæ in semine est, pro-
dunt virtutem, quæ ad corporis humani productionem concurrat,
neceffe est; Certe eam non aliam, quam ipsius Dei esse oportet, &
consequenter Deum esse, qui ita fecerit ea.

(β) Mirabilis illa partium corporis humani varietas, nexus &
structura non potest esse casu, quia inde à sui initio certos sibi fi-
nes ac usus præfixos habent. Sicut nemo, mentis compos, artifici-
osam quandam machinam, variis organis, certum finem respicienti-
bus, instructam, casu aut fortuita eorum coacervatione natam fuisse
somnia, sed eam enti intelligenti & ex destinato consilio agenti su-
am debere originem colligit: ita aliquem esse oportet, qui, quæ
in artificiosissima corporis humani machina sunt, certis usibus ac
finibus destinavit. Hic autem non potest esse alius quam Deus,
utpote in quo summa omnium perfectionum, adeoque infinita po-
tentia, & immensa sapientia continetur.

(γ.) In corpore humano motus deprehenditur. Ast, si quicquid
movetur, ab alio movetur, in serie vero eorum, quæ moventur, non
potest fieri progressus in infinitum, quia illud, quod proxime & ulti-
mo moveri cernimus, non posset moveri, siquidem eorum, quæ mo-
ventur, series non esset pertransibibilis, nec motus ad id, quod pro-
xime & ultimo movetur, posset devenire; Utrique in ente aliquo
primo, quod reliqua moveat, ipsum autem ab alio non moveatur,
sed immobile existat, subsistendum est. Hoc autem illud ipsum est
Deus. Unde & Paulus, in Areopago Athenienses ad Dei veri co-
gnitionem perducitur, inquit: *In ipso sumus, movemur & vivi-
vimus, Act. XVII. v. 28.* Ad leges motus si quis provocare velit,
quæro, unde istæ leges ortæ sint? Et quis machinam corporis hu-
mani ea instruxit efficacia, ut secundum eas agat, seque moveat?
Certe nemo alius, quam supremus legum mechanicarum Autor.

CAP. II.

DE
HOMINE ESSENTIÆ DIVINÆ TESTE.

§. I.
Homo est testis essentiæ Dei. Equidem in hac vita quidditativam,
pro-



propriam & adæquatam essentiæ divinæ rationem non valemus cognoscere, quia, teste Paulo, Viro Θεοπνεύστῳ, ex parte tantum cognoscimus, I. Corinth. XIII. v. 12. Unde apud Platonem Timæus à Socrate, quid sit Deus, interrogatus, rectè respondit: Τί μὲν ἐγὼ εἶμι, οἶδα, τί te, θεὸς ἔμι, ἐγὼ οἶδα. *Quid non sit, scio, quid vero sit, nescio*; Et DAMASCENVS de Orthodoxa fide Lib. I. c. 4. ait: *De Deo, quid sit secundum substantiam, dicere impossibile.* Attamen Deo essentia non est deneganda, quia, quicquid est, per suam essentiam est.

§. II.

Dum vero hominem Dei essentiæ testem adserimus, per essentiam Dei intelligimus id, quod in Deo primo concipimus, per quod Deus ab omnibus aliis rebus adæquate distinguitur, quodque nostro concipiendi modo, perfectionum, quæ Deo per modum proprietatum essentialium tribuntur, principium, radix & origo est, si non immediate, saltem mediate,

§. III.

Hoc modo si capitur Dei essentia, quid impedit, quo minus dicas, eam in eo consistere, quod Deus sit *ens independens*. Nam (α) Deum esse ens independens, in ipso concipitur primo, ut nulla ratio à priori dari queat, cur sit ens independens, (β) per hoc, quod est independens, ab omnibus aliis rebus, quæ præter ipsum existunt, adæquate distinguitur. (γ) Independentia Dei est perfectionum, quæ Deo per modum proprietatum essentialium tribuntur, principium, radix & origo, si non immediate, saltem mediate, quia nulla perfectionum divinarum ostendi potest, quæ non inde necessario promanet, vel *immediate*, ut infinitas, vel *mediate*, mediante alia perfectione seu attributo, & quidem vel *magis mediate*, ut æternitas, mediantibus infinitate & immutabilitate, vel *minus mediate*, ut e. g. simplicitas omnimoda, mediante saltem infinitate, &c.

§. IV.

Essentiæ ergo Dei spectatæ homo testis est. Nam hominem

B 3

ens

ens esse, nemo, nisi qui cum ratione insanire velit, negare poterit, cum notione entis intelligatur id, quod vere & realiter existit; Hominem autem ita existere, extra dubitandi licentiam est positum. Hominem vero non esse ens independens, sed dependens, facili demonstrari potest negotio. Nam ens independens dicunt Philosophi, quod non agnoscit se prius, à quo effective suum esse habet, hoc est, quod non est ab alio tanquam à vera causa. Ens autem dependens dicunt, quod agnoscit se prius, à quo effective esse suum habet, seu præter quod aliud præexistit, à quo tanquam à causa esse suum sortitur. Jam vero homo agnoscit se prius, à quo tanquam à causa esse suum accepit, siquidem homo genitus, quem oculis contuemur, ab alio homine productus & procreatus fuit. Cum vero in serie causarum non detur progressus in infinitum, quia series causarum esset impertransibilis, deveniendum tandem est ad causam aliquam primam & independentem, hæc vero non est alia, quam Deus, utpote qui solus est ens independens.

CAP. III.

DE

HOMINE ATTRIBUTORVM DIVINORVM TESTE.

§. I.

Homo testis est attributorum Dei.

§. II.

Attributi nomen vel *latius* capi solet, vel *strictius*. *Latius* acceptum denotare solet quodvis prædicatum, quod de Deo vere affirmatur, sive ei competat primo, ut nulla ratio à priori, cur ei insit, dari queat, e. g. independentem esse; sive ex alio priori fluat, e. g. infinitum esse; sive ei ab æterno competat, e. g. immensum esse; sive ei in tempore demum cum creaturarum initio competere ceperit, e. g. Creatorem, Conservatorem esse, &c. *Strictius* vero designat perfectionem, quæ ex essentia Dei necessario fluit, cujus generis attributum est infinitas.

§. III. Hoc

§. III

Hoc loco, ubi hominem attributorum Dei testem sistimus, latiore attendimus acceptionem, triplici, qua ad cognitionem eorum perducimur, insistentes viz, nempe *via causalitatis, via eminentiæ & perfectionis, & via negationis.*

§. IV.

Via causalitatis dicitur, qua, argumentis ab effectu ad causam concludentibus, ex rebus creatis non solum causam primam, sive Deum esse, demonstramus, sed etiam ad variorum ejus attributorum cognitionem perducimur. Scilicet, quando hominem alta mentis indagine contuemur, eum anima ac corpore constare deprehendimus, ille de Dei, Conditoris sui, tum existentia, tum attributis, evidentissima edit testimonia. Testimonia de ejus existentia in antecedentibus vidimus; Testimonia vero de ejus attributis, quæ hac innotescunt via, nunc utraqve ejus parte paucis perlustrabimus. Anima, quæ principem hominis partem constituit, est spiritus eximiis ornatus facultatibus ac potentiis. Hæ in universum omnes bonitatis, sapientiæ ac potentia diviniæ testes sunt omni exceptione majores. Potentia enim infinita eum pollere oportet, qui eam ex simpliciter nihilo produxit; Bonitate immensa eum esse, necesse est, qui eam adeo eximiis ornavit dotibus; Sapientia quoque summa non potest non esse præditus, qui & coordinavit potentias obtinendis finibus præfixis maxime proportionatas: Nec minus corporis machinam de ejus virtute, bonitate ac sapientia testatur quam abundantissime. Tota enim ejus structura ita comparata est, ut plus quam humana, nec nisi divina in ipsius productione conspiciatur virtus, quicquid vesana Atheorum ogganniat turba. Partium & membrorum varietas, nexus & structura plane stupenda, evidentissima sapientiæ diviniæ argumenta sunt, ut mentem hominis non possint non in admirationem rapere. Quis est, quem stupenda cerebri structura non in sui admirationem rapiat totum, sive varia ejus integumenta, quibus, ne lædatur, obductum est, sive ejus, quibus absolvitur, partes, partium

partiumque varios usus & fines præsentate perlustrat animo, quin ubivis illustrissima sapientiæ divinæ deprehendet argumenta. Quis est, qui sapientissimam oculi structuram, variis suis tunicis & humoribus cameram obscuram stupendo artificio exhibentis, ad motus necessarios tormusculis, quot requirebantur, instructi, valloque velut, ne temere lædi queat, muniti, non admiretur? Quis est, qui puter, aurem ad motum aëris, vocumque, ac sonorum perceptionem, sapientius, quam facta est, confici potuisse? Quis est, qui linguam sapientiæ divinæ testem non agnoscat, si eam loquelæ & gustus organum artificiosissime confectum advertit? Qvis est, quem cordis, quod, in argumentum infinitæ Dei sapientiæ, hydracontisterii perfectissimum sistit exemplar, structura mirabilis sui admiratione non compleat, si attenderit ad ventriculos cum orificiis ac vasis sanguinem evehentibus ac revehentibus, quibus valvulæ præfixæ sunt, sanguinis, ex ventriculis in venas, & ex arteriis in ventriculos, regressum impedi- entes, miramque partium singularum inter se harmoniam & exactissimam proportionem ad finem sibi præfixum, consideraverit. Taceo reliqua, quæ in corpore hominis conspicua sunt, & stuporem medicanti injiciunt, sapientiæ divinæ documenta. Quæ vero in corpore humano sunt sapientiæ divinæ documenta, eadem etiam bonitatis divinæ testimonia existunt longe evidentissima. Nam bonitate immensa eum esse necesse est, qui omnibus ac singulis corporis humani partibus tam multis finibus obtinendis idoneam structuram & dispositionem coordinavit, simulque varii generis læsiones, multasque molestias præpedivit.

§. V.

Via eminentiæ ac perfectionis est, qua perfectiones in creaturis deprehensas Deo quoque, tanquam causæ primæ, si non formaliter, tamen eminenter competere, concludimus, quia nihil est in effectu, quod non præexistat in causâ. Proinde hominis intellectus, voluntas, sapientia, scientia, justitia, &c. testantur, in Deo, tanquam causa prima, quoque dari intellectum, voluntatem, sapientiam, scientiam, justitiam, &c. utut longe excellentiori ratione, quam in homine, quia Deus & homo se habent ut causa & effectus. Jam vero nihil perfectionis est in homine, quod non in

Deo

Deo excellentiori præexistat ratione, quia alias non esset infinite perfectus, quod absurdum. Probe tamen hic tenenda est distinctio inter perfectiones simpliciter tales, & inter perfectiones secundum quid tales. *Illæ* dicuntur, quæ in sua ratione formali nihil involvunt imperfectionis, e. g. intellectus, cuius ratio formalis est facultas cognoscitiva immaterialis; *Hæ* autem vocantur, quæ in sua ratione formali involvunt perfectionem imperfectioni admixtam e. g. sensus, cuius ratio formalis est facultas cognoscitiva materialis. Utriusque generis perfectiones in Deo dantur, sed diversimode; *Illæ* formaliter & secundum rationem suam propriam, quia in sua ratione formali nil plane imperfectionis involvunt; *Hæ* autem eminenter, quia in sua ratione formali perfectionem cum admixta imperfectione important. Deus enim, cum sit ens infinite perfectum, ab omni imperfectione immunis existit. Proinde continet nobiliss & præstantius quid cum virente eminente eas in creaturis producendi. E. g. in homine dantur visus & auditus, absurdum ergo, Deo, qui homini visum & auditum largitus est, visum & auditum non tribuere. Graviter ergo *Psalm. XCIV. v. 9.* dicitur; *An plantator auris non audiat? Aut formator oculi non videat? Videt itaque & audit, non tamen per vim sensitivam, quæ cum se materialis, dicit perfectionem cum imperfectione admixta, à qua Deus plane immunis est; Sed modo cognoscit præstantiori, quod homo per visum auditumque adsequitur. Conf. B. BAIERI Theol. Pos. P. I. c. I. §. 26.*

S. VI.

Via negationis est, qua imperfectiones in creaturis deprehensæ à Deo remouentur, argumento à repugnantia, quæ inter creaturarum imperfectiones & inter Dei perfectiones intercedit, petito. Quando ergo homo est compositus, corporeus, materialis, mortalis, finitus, mensurabilis loco, mutabilis, comprehensibilis, &c. ille testis est, Deum esse simplicissimum, incorporeum, immaterialem, immortalem, infinitum, immensum, eternum, immutabilem, incomprehensibilem, &c. quia compositio, corporeitas, materialitas, finitudo, mensurabilitas, mutabilitas, comprehensibilitas &c. sunt imperfectiones. At repugnat, Deum, qui infinite perfectus est, ulli obnoxium esse imperfectioni. De triplici

via, causalitatis, eminentiæ, & negationis, præter IOH. MUSEVM
in *Introd. in Theolog. Nat. c. II. p. 84.* vide VOSSIVM *de origine &*
progressu Idololatr. Lib. I. c. 2.

CAP. IV.

DE
HOMINE OPERVM DEI TESTE.

§. I.

Homo testis est operum Dei.

§. II.

Opera autem Dei spectant vel ad regnum naturæ, vel ad
regnum gratiæ.

§. III.

Per opera autem Dei, quorum hominem testem dicimus,
intelligimus ea, quæ ad regnum naturæ spectant, illa autem sunt
creatio & providentia Dei.

§. IV.

(I.) Ergo homo testis est operis creationis, quæ Deus res, quæ
præter ipsum existunt, vel ex nulla materia præexistente, vel ex
aliqua materia, verum ita inhabili & indisposita produxit, ut ta-
lis effectus per virtutem agentis creati produci non possit. Nam
(a.) homo agnoscit se prius, h. e. effective suum esse habet ab alio,
e. g. homo, quem coram videmus, ab alio, à quo est procreatus, suum
esse habet. Cum vero in serie causarum non detur progressus in-
finitum, subsistendum erit in homine ingenito, qui esse suum
non nisi per creationem accipere potuit. (b.) Homo præter cor-
pus animam habet. Jam vero per rationem naturalem constat,
(a.) animam esse spiritum, (b.) spiritum non posse generari,
quia natura ad materiam adstricta est, & opera sua non nisi ex
materia, eaque habili & disposita, effingit, (c.) præter gene-
rationem & creationem non dari alium substantiam naturalem
producendi modum. Manifestum ergo est, animam non nisi
per creationem productam fuisse. Quod si ergo homo per crea-
tionem tuam esse accepit, non potest non creationis testis esse, quæ
Deus, præter cæteras creaturas, etiam hominem produxit, quæ ani-
mam quidem ex nulla plane materia, neque præexistente, neque
coexistente, quia anima actu ex materia non constat, cum res, quæ
actu ex materia non constat, naturæ suæ convenienter, etiam ex
nulla

nulla materia producta fuerint. Quia corpus autem ex aliqua materia, nempe ex gleba terrae, quia illud in suo esse actu ex materia constat, cum res, quae actu ex materia constant, naturae suae convenienter, etiam ex aliqua materia, sive praexistente, sive coexistente, producta fuerint.

§. V.

(II) *Homo etiam testis est providentiae divinae*, quia Deus creaturas a se conditas in suo esse conservat ac gubernat. Homo enim in suo esse ac vi operandi persistit; Ait in suo esse ac vi operandi ille non posset persistere, nisi illum Deus conservaret ac gubernaret, quia ipsi necessario ac semper competit, a Deo dependere. Jam vero conservationem ac gubernationem ad Dei spectare providentiam, quovis quisque est, qui neget? Nec providentiae divinae testimonia desunt, si ejus attendatur ortus, si ejus perlustrentur actiones, si ejus perspiciantur fata, si denique ejus advertatur vitae terminus, ut omnimoda percussio coecitate dicendus sit, qui non perspiciat, quin imo atrox athelismi notandus carbone, ea qui neget peunitus.

CAP. V.

DE

HOMINE CULTVS DEO EXHIBENDI TESTE.

§. I.

Homo denique etiam, suo modo, cultus Deo exhibendi testis est.

§. II.

Cultus Dei supponit Dei cognitionem, quia coli nequit, cujus nulla habetur cognitio. Unde bene LACTANTIVS, *Lib. IV. de vera Sapientia*, inquit: *Prius est scire, consequens est colere.*

§. III.

Quando ergo haftenus hominem ut testem existentiae, essentiae, attributorum, & operum Dei scirimus, quid obstat, quo minus eundem ut testem cultus, qui Deo ita cognito exhibendus, in scenam producamus.

§. IV.

Deum ergo colendum a se esse, homo testatur, qui Deus Creator est, homo autem creatura, intellectu & voluntate praedita. Creatorem autem a creatura colendum esse, quis negaverit? *Colendum vero Deum esse super omnia*, inde patet, quia est eius independens, summum, omniumque causa prima; homo autem est ens dependens & ejus effectus. Is enim, qui est ens independens, ac

C.

omnium causa prima, super omnia colatur, oportet. Deum vero cultu spirituali colendum esse, inde constat, quia est spiritus, cum unusquisque, qui colendus, tali prosequendus sit cultus, qui ejus naturae conveniens est & proportionatus. Unde & optimus Salvator Job. IV. v. 24. inquit: *Deus est spiritus, & qui eum adorant, oportet, ut spiritu ac veritate adorent.*

§. V.

Cultus, quo Deus prosequendus est, est vel internus, vel externus. Ideo in moribus voluntatis consistit, nempe in Dei amore, timore, fiducia, &c. Hic veto in actibus sensibilibus ac externis, cultus divini interni indicibus.

§. VI.

Cum igitur homo testis sit attributorum Dei, scilicet bonitatis, veracitatis, potentiae, iustitiae, &c. inde concludimus,

[1.] *Deum esse super omnia amandum*, quia est summe bonus, bonus non solum absolute & in se, sed etiam relative, in ordine ad hominem, cui est bonus, (a.) in genere causae efficientis, quia eum condidit, (b.) in genere causae exemplaris, quia eum ad imaginem suam fecit, (c.) in genere causae finalis, quia est ejus finis simpliciter ultimus.

[2.] *Deum esse timendum*, tum quia Dominus est summae Majestatis, tum quia est justus, qui vi iustitiae suae peccata punit, tum quia est summe potens, qui etiam potest in peccatores animadvertere.

[3.] *In Deo esse super omnia confidendum*, quia non solum summa est in homines bonitate, sed etiam potentia infinita, ut velit & possit nobis in omnibus necessitatibus subvenire.

[4.] *Deo esse obediendum* (a) quia est Deus & Dominus noster per creationem & conservationem, (b) quia Deus super omnia est amandus, cum eum non amet, qui ei non obedit.

[5.] *Preces ad Deum dirigendas esse*, (a) quia est summe bonus, qui ex exhausta suae bonitatis fonte in nos derivare potest & solet, quorum indigemus; (b) quia est omniscius, qui nostram miseriam perspectam & cognitam habet; (c) quia est summe potens, qui potest nostris miseris medelam adferre; (d) quia est summe verax, qui constans est in servandis promissis, quae de precum exauditione & auxilio ferendo dedit.

[6.] *Deum esse celebrandum*, quia est ens supremum, optimum, sapientissimum, potentissimum, omnium, quae praeter ipsum sunt, entium Conditor, Conservator & Governator sapientissimus, &c.

[7.] *Deo esse gratias agendas maximas*, quia pro sua immensa bonitate hominem non solum condidit, sed etiam conservat, aliisque beneficiis quotidie ornatur copiosissime.

SOLI OMNIUM RERVM CONDITORI SAPIENTISSIMO
SIT LAVS ET GLORIA IN AETERNVM.

CORRIGENDA:

Pag. 8. lin. 28. pro *epiteto* lege *epiteto*. pag. 13. lin. 3. pro *Soera* lege *Socrate*. ibid. lin. 5. dele *te*. pag. 15. §. IV. l. 19. pro *machinam* lege *machina*. P. 16. l. 1. pro *advertit* lege *animadvertit*. ib. §. V. l. 5. pro *scienria* lege *scientia*.





Jena, Diss., 1733 (1)




VD18

Sb.







1733 117 01 19

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
HOMINE
DEI CONDITORIS
TESTE

*Joh. Reuter,
2. H. 1840.*

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE, JVLIIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQA
AMPLISSIMAE
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE CONSENSV
SVB PRAESIDIO
IOH. CHRISTIANI STOCKII,
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS,
ET IMPERIALIS LEOPOLDINO-CAROLINAE ACADEMIAE
NATVRAE CVRIOSORVM COLLEGAE,
FAVTOVIS ET PRAECEPTORIS AETATEM COLENDI
PVBLICE DEFENDET
IOHANNES FRIDERICVS HARTLIEB
VLMA-SVEVVS,
AD DIEM XXIV. IANVARIII MDCCXXXIII.

IENAE, LITTERIS MARGGRAFIANIS.

